

Lit. Lat.

ec. A.

1151

Poetic:
a) Poete Latin: recantio: 1303.

Prof. Excellenz. L. T. von H. J. v. B. v. B. v. B.

v. Freytags Nachr. v. Selten 1343. T. 1. p. 207.

1. THE HISTORY OF THE
ROYAL SOCIETY OF LONDON

ALPHABETICAL

OF THE NAMES OF THE
MEMBERS OF THE SOCIETY

FROM THE YEAR 1660 TO 1725

BY JOHN WALLIS, M.A. F.R.S.

IN TWO VOLUMES.
THE SECOND VOLUME.

LONDON:
Printed by J. Sturges, in Strand, near St. Dunstons Church.
1725.



GODOFREDI EPHRAIM MULLERI

WOLKENSTEIN. MISN.

IUVENILIA.

Ingenium certe non latet inde meum,
Quo videar quamuis nimium *iuueniliter* vsus.

OVID. Trist. L. I. Eleg. I.



DRESDAE, MDCCCL.

Sumtu auctoris, qui, amicorum suasu, perpauca
exempla typis iussit exscribi.

GODFRIDUS EPHRAIM WYLLIUS

WILHELMSTADT. MDCCCLXX.

IVVENILLA.

Ingenium certe non inter ista numerum
Quo videtur quantum rationem conveniant.

Opera T. III. P. I. Lib. I.



Dessau, die 10. Oct.
Sunt notoria quae antea in hunc partem
exemplis typis hinc expressit.

HENRICVS PIVS
FREQVENS WOLKENSTEINÆ
INCOLA.

Carmen hexametrum

iuueniliter olim,
cum e Schola Portensi
discederet,

contextum

a

Godofredo Ephraim Mullero,
Wolkenstein, Misn.

A. O. R. clō Io cc xxxii.

HERIOLICVS RIVS

FRIGORIS VOLKENSTEINIS

IN O. A.

Carmen hermannicum

HERIOLICVS RIVS

FRIGORIS VOLKENSTEINIS

IN O. A.

Goldredo Episcopus Mullens

Wittenberg, 1511

M. O. R. C. 15 C. XXII


Adm. 1511

Quarta de 1511

St. 1511

1511

1511



HENRICVS PIVS
FREQVENS WOLKENSTEINAE
INCOLA.

Dignum laude virum Musa vetat mori,
Cœlo Musa beat.

HORATIVS.

*H*actenus indigena, mea Musa, ingressa cothurno
Sperne chelyn patriam, numeros dedisce paternos,
Adsuetosque modos: adamant alterna Camenæ
Carmina: me Latio fari iuuat ore poetam.
Sat tenera placuisse lyra: sat mollia lætis
Verba ligasse modis; at nunc grauiora canamus!

Musa, mihi memora, (nam te quis scire negabit?)
 Insignem pietate virum, quem nulla filebunt
 Secula: quem celebres cunæ, quem magna parentum
 Nomina fecernunt populo: quem summa labores
 Vis Superum tot adire iubet: quem frangere curæ,
 Nec potuere minæ: post tot discrimina rerum,
 Quem patriis, sic fata ferunt, pia Numina tandem
 Fascibus extollunt: patriæ quem mœnia nostræ,
 Posthabitis coluisse tuis, mala Frisia, tectis,
 Tempora prisca docent: verum virtutis amantem.
 Nonne manent tanti cœlestia pectora casus?

Vrbs antiqua iacet, Dresdam dixere coloni,
 Splendida, diues opum, quam nautica nobilis vnda
 Albis adit, celebris medio quam flumine sectam
 Pons ligat, atque duas vrbes committit in vnam.
 Mœnia stant, surguntque domus, & vertice tures
 Astra propinqua tenent, quas inter maxima, cui Crux
 Nomina sacra facit, reliquas supereminet omnes,
 Obscurumque caput tenebrosa nube recondens,
 Qua patet, ingentem late circumspicit agrum.
 Saxonico hanc dominam populo quondam esse caputque
 Olim erat in fatis. Diuino sanguine princeps
 Hic fatus Albertus, sublimi regnat in arce,
 Imperioque premit gentes, animosque feroces

Mifni-

Misniadum mulcet dictis, & fœdere certo,
 Et laxare leues, & tollere callet habenas.
 Ni faciat, rueret studiis asperrima belli
 Natio per vetitum facinus, demtaque quiete,
 Horribili adiectas misceret turbine terras.
 Hoc bonus Albertus metuens, placida otia pacis
 Suadet & iniustas populorum temperat iras,
 Indocilesque pati leges bene carcere frenat.
 Hic sibi Zedenam, Bohemo a sanguine ductam,
 Connubio iunxit stabili, pronaque Diana,
 Fœcunda patrios e coniuge prole penates,
 Auxit & in triplici verissima patris imago,
 (Quid natas memorem?) tunc principe cernitur omni.
 Gorgius alter erat, barbaque insignior: alter,
 Henricus, pietate valet: Fridericus & alter
 Germanos equites flectit ducitque magister.
 Nil mihi vobiscum, fratres! non Musa Georgi
 Sæuitiam rabiemque canit: Friderice, nec vlla
 Carmina te celebrant; indigna nocte teneri
 HENRICVM pia Musa vetat: procul este remoti;
 Vt decet, HENRICI spirant mea carmina laudes.

Iam poteras natis felix, Alberte, videri,
 Iucundoque patris gaudebas nomine, matris
 Fessaque post quintos hærebant viscera partus,
 Cum tibi dat sobolem melior Lucina recentem,

Et numerus natis accedit, spesque parenti.
 Lætitia exoritur, congaudens plausibus ora
 Intonat & fidæ solemnia pectore gentes
 Gaudia concipiunt: rupes atque adfita circum
 Rura datas referunt voces, quasi conscia tantæ
 Fortunæ exfultent, & consona filia remugit.
 Sic, vbi Thyrsigeri bacchantum turba Lyæi
 Sacra agit, infuetis freudent vlulatus agri,
 Tinnulaque æra sonant, furiosumque vndique vulgus
 Euoë Bacche! vocant, ac æthera murmure complent.
 Vix vbi conspexit prolem pater, oscula dulci
 Oscula libavit crebro repetenda puello,
 Et, nisi me, dixit, nisi me præfagia fallunt,
 Olim magnus eris, nec lætos vana parentes
 Spes ludet, nobis tua quam promittit origo.
 Dixerat; atque aulæ mediis * custodibus vnus
 Adstat, qui populo prudens responsa petenti
 Irreprehensa ferens, fatorum arcana canebat.
 Hic tenerum blandis puerum complectitur vlnis,
 Atque ait: O tanto felicia secula partu!
 O faustos nimium, qui te genuere, parentes,
 Et quibus Henricus mox ludet paruulus aula!

Cresce,

* Hæc satellitem Henrico, sed ad altiori, vaticinatum esse, est historię eius momentum certum, sed, poetica licentia, hic a nobis anticipatum.

Cresce, puer, nobis totique salutifer orbi,
 Cresce, puer, dubiæ spes o fidissima gentis!
 Magna quidem patienda tibi, verum vltima luctus
 Expectanda dies queruli: nam, crede, supremum,
 Post varios casus, terris iactatus & alto,
 Ad requiem venies, & patria regna capeffes.
 Tu poteris, nam fata sinunt, pia gaudia gentis,
 Et patrium retinere decus, nomenque tueri.
 Hæc tibi fata, puer, cœlestia fidera ponunt,
 Ni frustra augurium vani docuere parentes.
 Dicta fides sequitur; nam succedentia vatis
 Firmauere fatis diuinam tempora fortem.

Dum vero HENRICI nostris memorabile terris
 Nomen erat, celebris pueri, crescentibus annis,
 Fama simul crescit, nec spes, florente puello,
 Defloret, maiora magis, mirabile dictu!
 Incrementa capit. Largo velut annis ab imbre
 Deciduis ditatur aquis, riuosque propinquos,
 Imbibit, & sese, furtiuus viribus auctum,
 Per circumiectos agitât cum murmure campos.
 Iamque relinquebat cunas, ætasque subibat,
 Quam tu nec primam, nec possis dicere summam,
 Sed confinis erat teneræ propiorque virili.
 Per roseas feruens, iuuenili in corpore, venas,

Sanguis it, & solidæ primo stant robore vires,
 Et tenui molles vernant lanugine malæ.
 Sed Pater incertus dubitat, queis pignora cara
 Commendanda locis, vbi, præmonstrante Minerua,
 Ad Sophiæ penetrent arces, nomenque paternum
 Amplificent fratres, virtutum diuite cultu.
 Lipsia docta placet; cum fratreque Lipsia docta
 Est, HENRICE, adeunda tibi, quæ, tempore nullo,
 Conatus studiumque tacet, quibus altior omni
 Principe clarebas, quem Lipsia viderat vnquam.
 Qualis Amyclæus gemino cum Castore Pollux
 Fingitur antiquis, vt pugnet fortius alter,
 Gaudeat alter equis: talis, par nobile fratrum!
 Talis eras, HENRICE, tuo cum fratre videndus.
 Ille suum corpus sæuis exercet in armis;
 Nec tibi spernuntur; sed sancta scientia legum,
 Quæque vetus Latium nobis monumenta reliquit,
 Sunt pluris libranda tibi. Nam nobile doctæ
 Non decus obscurant augusti principis artes.

Interea Bataui, genus intractabile bello,
 Cæsaris imperium tumida ceruice retractant.
 Seditio exardet, sæuitque ignobile vulgus,
 Insipidæque malus plebi furor arma ministrat.
 Huc subito Albertus, stipatus milite forti,
 Missus adest. Venit: Vidit: Vicitque furentem

Se-

Sedauitque breui turbam: victricia signa,
 Extulit, & rabidos populos terrasque subegit.
 Filius huc patri similis, patria arma secutus,
 Dat patris auspiciis, HENRICVS, publica primæ
 Militiæ documenta, suis qualisque futurus,
 Insigni virtute, probat; nunc ense minaci
 Hunc petit: intorta nunc illum perfodit hasta,
 Se mediis miscetque viris: non feruidus arma,
 Agmina non horret: non pila minantia curat.
 Heu! quoties medio princeps inclusus ab hoste
 Ense vias aperit, seque integer eripit hosti!
 Heu! iuueni quoties intentant omnia mortem,
 Nec tamen occubuit, sed fortior vsque reuertit,
 Ast, vbi pacatos Cæsar populosque quietos
 Conspicit, Alberto, meritis pro talibus, amplas
 Frisiadum terras priuas propriasque dicabat.
 Hinc pater Albertus, tam largo munere gaudens,
 Aduocat Henricum; mox adstitit ille vocatus.
 Inde toro Albertus genitor sic orsus ab alto:
 Fortunam scis, nate, meam: scis munera magni
 Cæsaris, & quanto nos, scis, suffundat honore.
 Frisia nostra manet; sed longe Frisia terris
 Terra remota meis colitur: me mœnia Dresdæ,
 Me coniux, nati, populi, me cuncta reposcunt.

Hos

Hos rege, nate, mihi, patrio sub nomine, Frisos,
 Iustitiam pacemque colas, semperque rebelles
 Te regere imperio populos, HENRICE, memento.
 Hæc ait; & nati blandis amplexibus hærens,
 Nate, Vale! dixit, vocesque iteravit easdem
 Sæpius, & solus, victor, natoque relicto,
 Quos liquit, repetit, fumina cum laude, penates,
 Longaque Misniadum sic desideria finit.

Vix e conspectu populi genitore remoto,
 Frisia turba novas fraudes, noua pectore versat
 Consilia, vt domini tandem iuga iusta superbis
 Excutiant collis, & sic, sine legibus vllis,
 Quæ lubeant, faciant, & lex sit summa voluntas.
 Vt male restinctus coopertas sæpe fauillas
 Ignis alit, cineres pingui dant fomite flammam,
 Flammaque fumosas subito exspatiatur in auras,
 Atque alimenta trahit strepitu Vulcanus anhelo;
 Sic rabidæ populi, nullis prohibentibus, iræ
 Ciuica bella mouent, infano cuncta tumultu
 Permifcent, HENRICE, tibi mortemque minantur.
 Scilicet ingentem durato ex ære catenam *
 Conficiunt, tua qua periuri animosa ligarent

Guttu-

* Monstratur adhuc hæc catena ferali vsui destinata in Biblio-
 theca regia Dresdensi.

Guttura: Tanta fuit miseræ dementia gentis!
 Parteque sæuitia miles stimulatus ab omni
 Imminet, & Dominum vallatis mœnibus arctat.
 Ast, vbi tanta parens natum subiisse pericla
 Comperit, exardens flammato hæc pectore dixit:
 Quæ vestra est rabies, quæ tanta licentia, gentes?
 Proh scelus! heu! quantas audetis tollere moles?
 Quas ego; - - sed dubio præstat succurrere nato,
 Post mihi non simili pœna commissa luetis.
 Nec mora; ad obsessas genitor proficiscitur arces,
 HENRICVMque PIVM tanto discrimine fortis
 Eripit, & dicto citius mala murmura placat,
 Collectanque fugat turbam pacemque reducit,
 HENRICVMque suæ, superatis mille periclis,
 Restituit matri reducem modo tale precanti.
 Tantæ molis erat, longas componere lites!

Finis erat curis; pro nato dona recepto
 Iam materque paterque ferunt, felicia læti
 Argumenta sonant animi, cantusue lyræue,
 Sertaque pendentur, festiuo vrbs igne coruscat,
 Lætitiâ pansura suam, materque nurusque
 Cum trepidante ruit coniux grandæua marito.
 Pone subit, sequiturque patrem, non passibus æquis,
 Imbellis puer, & gaudens quoque gaudia nescit,

Rega

Regales epulis mensæque onerantur opimis,
 Albertique ineunt proceres : pars optima lucis
 Est dapibus paterisque, breui nox est data somno.
 Postquam, epulis functi, generoso munere Bacchi
 Diffudere animos, roseos subducere vultus
 Sol parat, atque dies, cum sole, reconditur vndis.
 Mollia strata premunt omnes, & languida dulcis
 Lumina torpor habet, vino somnoque tenentur.
 Dicitur Albertus, perfusus nectare, curas
 Seposuisse graues, focia & cum coniuge fessa
 Corpora commisisse toro, recreanda quiete.
 Ecce quiescenti, stellata veste decorus
 Aduolat ætherea genius demissus ab arce,
 Adloquiturque senem : Tua non fucata supremo
 Est pietas spectata Deo, te Numina curant,
 Quæ prius ipse probe curas, tibi, meque ministro,
 Quæ maneant feros, ex te genitore, nepotes
 Noscere fata, datur. Multa iam prole beatus
 Cerneris ; hanc inter sobolem pietate Tonanti
 HENRICVS placuit, quondam quem summa potestas
 Æquabit superis fraternaque regna beabunt.
 Non feret hoc simili concretus sanguine frater,
 Vexabitque PIVM, longa est iniuria, duri,
 Quos adeat, casus ; tanta est discordia fratrum !

Sed

Sed ne cede malis! germanum, HENRICE, furentem,
 Sic visum Superis, patriis spoliabere sceptris.
 Nam tibi nec metam, nec ponunt Numina finem,
 Ponere nec fas est huic, quo natura iuuante,
 Eximium meditatur opus, quo candida terris
 Nil maius meliusque dabunt, nec fata dederunt.
 Progeniemque tuo noscas a sanguine duci,
 Qui, decus antiquum laudesque emensus auitas,
 Regia sceptrata sacro, quem sustinet Ensifer, ensi,
 Miscebit, gentemque nouam in sua iura vocabit,
 Cuique Duci pater Albis, idem cui Vistula Regi
 Deuotis famulentur aquis: & poplite flexo,
 Sauromatae, fidoque feri cum Saxone Alani,
 Quem venerentur, erit. Cœlestis talia fando
 Nuncius, vndifono, nimbis bacchantibus, Euro,
 Ocyor, æthereos, pluma veloce, penates
 Iam subit, inque leues, queis decidit, euolat auras.
 Sed Pater, ancipiti nocturno tempore viso,
 Obstupet, atque diu, quid agat, dicatue, nec ipse
 Invenit, & tacito duram sub pectore curam
 Æger alit; patrius natorum parteque ab illa
 Urget amor: timidus cognataque iurgia fratrum,
 Infaustasque timet lites; hinc gaudia prolis
 Spes promissa creat, tantas quæ tractet habenas.

Tan-

Tandem vincis amor; nam cur non vincere possis,
 Omnia qui superas? & Dii mea visa fecudent!
 Exclamat, quis enim sine numine somnia credat?
 Inque notos celeres, quicquid mihi læua finistri
 Fata minantur, eat. Dum talia voce profatur,
 In conclaue PIVS, foribus bipatientibus, intrat.
 Cui Pater: Opportunus ades; te Numina nostra
 Cedere fede iubent, sic fert diuina voluntas.
 I, pete, nate, sacras, loca fat mihi cognita, terras,
 Et Domini natale solum Solymæaque templa
 Et venerare lares, sanctumque imitare parentem.
 Filius hæc contra: Tuus est, pater alme, quod optas,
 Explorare labor, nam nec rescindere magni
 Iussa Dei potero: nec si rescindere possem,
 Sacrilegus facerem: mihi fat, sic voluere Diuos.
 Vis genitor? parere decet: placuisse parenti
 Lex mihi summa manet, nec ego in contraria tendam.
 Dicit; & ad timidæ se perfert limina matris
 Quæque animo sedeat caro sententia patri,
 Detegit & matrem, fugientum more, salutat.
 Hæc duplices lacrimans palmas ad sidera tendit,
 Et, quis erit finis lacrimis, quæ ponitur, inquit,
 Meta malis? proli rabidos non sufficit inter
 Frisidas timuisse: meæ nunc tollitur omne

Delis

Delicium vitæ: miseræ nunc gaudia matris
 Infido credenda mari? tua corrige cœpta,
 Si Numenque paterque sinunt: num pergis? iniquus
 Nil lacrimis, precibusque grauis nil flecteris vllis?
 Quid? retices? bene! perge, patris magnique Tonantis,
 Perfice iussa. Deus, qui pignora tanta dedisti,
 Serua eadem, nostri gratos vterique labores!
 Hæc ait: hæc timuit genitrix, & plura profari
 Cum gemitu lacrimæ, formosa per ora fluentes,
 Vt vellet, prohibent, sermonem abrumpit, & auras
 Ægra fugit, seque ex oculis auertit & aufert.
 At PIVS HENRICVS matrem lenire dolentem
 Solando cupit, & dictis auertere curas.

Iamque dies aderat, quo dextræ iungere dextram
 Postremo datur, & comites, in littore toto,
 Deducunt naues, classem aptant, armaque promunt,
 Et lymphas Cereremque nouam Cerealiaque arma
 Nauibus imponunt: nunc dantibus vltima rursus
 Oscula redduntur: conscendit littore naues
 HENRICVS, curuo non alligat ancora morfu
 Nauigia: & iam vela tument inflantibus Euris.
 Tractantur validi remi: pater Albis & ipse
 Clarior adparet, dominumque, frementibus vndis,
 Gestit auere suum: iam dorso lætus amico
 Succeditque oneri: natat vncta carina, profundo

B

Mox

Mox coitura mari : turreſque vrbeſque recedunt.
 Iam neque ſunt oculis excelfæ mœnia Dreſdæ
 Conſpicienda tuis : quas Princeps ſæpius arces
 Vidifti, latitant : patriiſque e finibus exul,
 Aufugis, & terras alieno ſole calentes
 Cum patriis conuertis agris, & fratris ob iram,
 Non loca viſa prius petis, & tua rura relinquis.
 Ite bonis auibus, quo vos pia Numina cunque
 Ire iubent, auibusque bonis remeate ſupremo,
 Quando Deo viſum eſt, & veſtro fata labori
 Imponunt finem ; Fas eſt parere Tonanti.

Ventum erat ad pelagi, * ventis patientibus, oras,
 Albiſ, vbi acceptas, rapidis torrentibus auctus,
 Reddit aquas, vndiſque tamen mox exit iisdem.
 Albiſ adit precibus tunc patrem Nerea, dicens:
 Si tibi cura tui generis, tua vera propago
 Si merito credor, votis, pater, annue noſtris!
 Gens dilecta mihi ſedatum nauigat æquor,
 Inuiſura ſacros, Phœnicia rura, penates.
 Huicce iube, genitor, Zephyros ſpirare ſecundos,
 Luçantefque notos procul altis puppibus arcens,
 Quem

* Hæc, per licentiam poeticam, fictione forte non ineleganti,
 dicta ſunt, ad ἀκμὴν ἰσορικῆν, γεωγραφικῆν, καὶ ὁδοι-
 πορικῆν minime exigenda. Cæterum fontes & ex iis flu-
 uios ex maris reſſu proſilire, trita & perantiqua eſt ſen-
 tentia.

Quem petit, optatum fauste, sine, tangere portum.
 Hæc ait; & subito placidum caput extulit vndis
 Nereus, & verum me, in caro principe, patrem
 Experieris, ait; nullam patiēre repulsam:
 Quæ petis, acta putes; tutus ruit æquora princeps.
 Hæc ubi dicta, graui ferit æquora summa tridente,
 Et rabidos ventos tempestatesque sonoras
 Proscribit pelago, suetumque reducit in antrum.
 Exulat & Auster ponto crebriorque procellis
 Africus, Oceano, diductis fluctibus, omni
 Incubat alta quies: iam nauita lætus in altum
 Vela dat, & curuis arat æquora cærulea fulcis:
 Ocyor it torto Balearis verbere fundæ
 Classis, vel missis Parthi post terga sagittis.
 Multa breui referam; ventis vndisque secundis,
 Cum fociis, princeps pleno subit ostia velo,
 Quæ petiit, tenet arua: sacrum testantia amorem
 Suauia figit humo: veneranda sacraria lustrat,
 Et præsepe, tuas, Seruator maxime, cunas,
 Et qua felici moriens exsanguie probasti
 Ponere corpus humo: quo, ter sua lumina Phœbo
 Cum Luna alternante, nigro reuocatus ab orco,
 Iam paulum desueta subis vasti atria cœli.
 Ecce! tui tumuli, iusto commotus amore,
 Relligiosus eques princeps cupit esse: petitis

Ex animo potitur, pulcro gladioque recinctus,
 Signa noui decoris, talis calcaria iungit.
 Non operæ est pretium, multis ambire loquelis,
 Quot positas ripis ex ordine suspicit vrbes,
 Quot pauet horrendos squamoso corpore cetos,
 Delphinosque graues, spumanti in gurgite nantes,
 Lasciuasque phocas, & prata natantia ponti:
 Aut quot nauta sagax scopulis deflectit acutis,
 Euitatque cauas, studio minuente laborem,
 Scyllas, atque auidæ funesta barathra Charybdis;
 Hoc non vatis opus, nil hæc memorasse iuaret.

Annuus exactis completur mensibus orbis,
 Iamque nouo nictant labentia tempora seculo,
 Cum te damnosa tellure recedere, Princeps,
 Resque locusque monent, abitumque pericula suadent.
 Non adeo est stabiles virtus fortita penates,
 Sed velut incertis per opacas passibus errat
 Siluas, acta tuis, Actæon, cerua Melampis,
 Iam mox ima petit, reclusis vallibus, antra,
 Difficiles apices montis mox transfilit alti;
 Sic mare, sic terras, sic exulat vndique virtus.
 Est genus, immensum mutandis mercibus æquor
 Permeat, astuta per terras fraude malisque
 Artibus inclarum: Nomades * dixere parentes.

Nulla

* Germanis Ziegeuner.

Nulla domus: plaustris habitant: migrare per arua
 Mos atque errantes circumuectare penates.
 His olim, (quis enim lateat non cognitus illis?)
 Visus erat princeps, patria dum degeret aula;
 Exsurgit timor hinc, his ne prodentibus, hostis
 Incidat in casses, ingenti retibus auro
 Præda vaftris redimenda; vocat Bunauide natum
 HENRICVS, fidumque sibi Bernsteinida, (mortis
 Nam Grensingiades crudelibus occubat umbris;)

Orditur: quamcunque dabunt mihi tempora, fortis
 O focii comitesque meæ! nunc æquora, terras
 In mea damna feras, & quod tegit omnia, cœlum
 Conspirasse putem: non fat, sine crimine, terris
 Terga dedisse meis? nunc id superabat, iniqua,
 Infandum! illuuiem vt cunctis de gentibus armet
 In cladem fortuna mean; quæ meta laborum
 Siftitur? haud aliquam licet exspectare salutem?
 Sed durate, mei! cum principe viuite fortes,
 Fortiaque aduersis opponite pectora rebus!
 Sæuiat, vsque novos moueat fortuna tumultus,
 Non mentem imminuet: mens est mihi nescia motus.
 Sed medios inter quid iam remorabimur hostes?
 Præstat abire fuga: taciti dissoluite puppes
 Littore! Phœbus vbi, completis cursibus, vndis
 Fessos tingit equos, nocturnis obsitus umbris,

Ipse sequar. Dixit princeps, & protinus omnes
 Imperio læti parent, & iussa facessunt.
 Pacta manent; vix se calidis sol occulit vndis,
 Alternasque foror contingere gaudet habenas,
 Cuncta parata vides, Domino sociisque receptis,
 Soluit nauta rates, perituras colligit auras,
 Et solers lævo pede carbasa tenta retorquet:
 Quique prius fuerat venientibus æquore callis,
 Iam patet in patriam reditum meditantibus idem.
 Annuit inceptis melior Neptunus, & æquus
 Æolus audaces compescit carcere ventos.
 Coniurata tuam quærunt elementa salutem:
 O nimium dilecte Deo, cui sponte superbæ
 Morigerantur aquæ: cui terra modesta ministrat,
 Et cui placati veniunt ad classica venti!

Est locus Hesperix, semotis confitus oris,
 Fœcundum Callæcus vbi colit impiger agrum,
 Et trabeas fascesque tuos, Hispanæ, veretur,
 Compostella, sacro Iacobi cognita cultu.
 Creditur huic: (quid non mortalia pectora fallis,
 Vana Superstitio!) multo iam tempore, sanctum
 Numen inesse loco; glomerato huc agmine, vulgi
 Confluit insipido præferuida turba furore,
 Cui pietas oculos hebetat mentita, nefandus

Cui

Cui Babylonis amor pietatis præstat amori,
 Ut iuuet infectos vitiis, (quis, talia fando,
 Temperet a lacrymis?) ficti præsentia Diui.
 Tecta nitent: paries gemmis oneratur & auro,
 Et bifores radiant argenti lumine valvæ,
 Fulgida, quæ stolido pandunt penetralia vulgo.
 Ture calent aræ: bene olentique vngvine tactæ
 Lampades inniscent gemmis splendentibus aurum
 Has PIVS HENRICVS naues conuertere ad oras
 Imperat, & fida iuuenum stipante caterua,
 Ad templum incedit pietate grauissimus heros,
 Atque coronatis supplex adfunditur aris
 Vota soluturus: votis dant munera pondus.
 Tum simulacra, tuos, Iacobe, imitantia vultus,
 Effigiesque sacras, & si quid numinis ipsis,
 Oraturus adit, supplex his vocibus vsus:
 Huc ades, o Iacobe, piis! me candida sanctas
 Relligio pietasque tuas comitantur ad aras.
 Hoc cape, Diue, tibi munus: sed munus iniqua
 Si tibi gente rapi pateris, tua culpa vocetur.
 Dixerat; & Diuo solitos operatus honores,
 Præualida natalis humi dulcedine captus,
 Pernicibus tenues ratibus perlabitur vndas.
 Vota suos habuere Deos; nunc omine fausto,
 HENRICVS patriam, fociis comitantibus, aulam

Introit, & patriæ secum noua gaudia portat.
 Vsque adeo obliquos seruant tibi Numina calles!

At genitor quamuis lætetur sospite nato,
 Non tamen, (heu! celeri versat fortuna rotatas
 Cardine res hominum!) firmo stant gaudia talo.
 Adstat summa dies Alberto, & flebile tempus
 Imminet, ereptus quo, Princeps optime, terris,
 Promeriti meliore poli iam vesceris aura.
 Molliter ossa cubent; nunquam meminisse pigebit
 Alberti, latices adfueti dum memor Albis
 Saxo bibit, longumque rotant labentia cursum
 Secula, Diue, tuæ laudes nomenque manebunt.
 Componunt cineres fratres, exsanguie parentis
 Corpus dant tumulo, signant quoque carmine saxum:
 HIC. SITVS. ALBERTVS. MISERIS. TVTELA. SVPERBIS.
 TERROR. DELICIVM. PATRIÆ. SPES. VNICA. NATIS.
 Manibus officio diuis, pro more, soluto,
 Dissimiles coeuut fratres; male sana cupido
 Illum agit imperii: nihil hic, contentus honesto,
 Regna, nihil trabeas, nihil alta palatia curat.
 Distribuunt patrias, non æquo iudice, terras
 Germani, cedit tibi Misnia lata, Georgi.
 Sors, HENRICE, angusta tibi, non principe digna
 Rura tulit, misero nedum satis ampla colono.

Vrbs

Vrbs iacet, arboreo cui margine brachia Mulda
 Porrigit, adseruat magnorum condita terris
 Ossa Ducum: viridis vaga circuit vndique filua
 Mœnia: Freybergam vicinia tota vocabat.
 Hæc tibi forte datur: parua hac domineris in aula,
 Quam bene fucatos didicisti spernere fasces!
 Nil te regna mouent: nil magnis regibus aptis
 Diuitiis pateris flecti; quæ regia virtus,
 Temnere opes, semperque graui mortalia vultu
 Despicere, & sapiens primos inquirere in ortus!

Dum paucis contentus agis, patriumque salinum
 Fert tenuis tibi mensa, leuem vitiosa quietem
 Cura nec abrumpit, tædas Hymenæus amorque
 Præcipiunt: Venerisque fugis dum frigidus æstus,
 Vreri igne nouo: dum solus fallere noctes
 Vis longas, vacui subeunt fastidia lecti.
 Virgo pereximia forma florebat & annis,
 Iam matura viro, spes inuidiosa procorum,
 Mecklenburgiacæ proles gratissima gentis.
 Hanc videt HENRICUS: visam cupit atque cupitam
 Legitimo fociat casti sibi fœdere lecti.
 Sparge, marite, nuces, tædas incende iugales!
 Nam te digna viro, Princeps, tibi ducitur vxor;
 HENRICO Catharina datur; nec coniuge tanta

Dignior alter erat; Vestro Deus æquus amori
 Quam bene consuluit! vos terque quaterque beatos,
 Pronubus ipse Deus valido quos fœdere iunxit!
 Cedite nunc veterum figmenta incondita vatum!
 Non tua, Cadme, poli neglectis sedibus, omnes
 Dii superi veniunt ad sacra iugalia; dulcis
 Sic lusit quondam Clarios infania vates.
 Huc Veneres Charitesque, nouem stipante fororum
 Conuenere choro: cœlestes cantat amores
 Delius in medio residens, teretique pererrat
 Suaue lyram digito. Non sic Briseida Phthius,
 Non ita Penelope cunctantem ardebat Vlysses;
 Quam Catharina tibi: quam tu illi, HENRICE, placeres,
 Quam vos cura duos & amor socialis haberet.
 Non Iouis illa tuo thalamos præferret amori,
 Nec te, quæ caperet, vel si Venus ipsa veniret,
 Vlla erat; æquales vrebant pectora flammæ.
 Cynthius obscuro nitidam, fugientibus umbris,
 Reddit in orbe diem, tanti quæ conscia plausus
 Testis adesse queat; radio meliore coruscat
 Consuetum geminatque iubar lux publica mundi.
 Virgo viro nupsura sacras incedit ad aras,
 Compositos viridi crines distincta smaragdo,
 Et tunica velata leui, quam limbus obibat
 Aureus, ornabant baccata monilia collum.

Qua-

Qualis in Eurotæ pulcerrima cernitur aruis
 Exercens Diana choros, quam tota sequuntur
 Agmina Nympharum, Nymphas supereminet omnes
 Corpore; vel quales pulcras audire solemus
 Naiadas & Dryadas mediis incedere siluis:
 Talis erat virgo; faciem formamque decentem
 Ars iuuat, atque nouo crescit præstantia cultu,
 Sed graditur chlamydem princeps indutus, Eoas
 Fulgidum vbi intextas gemmas discriminat aurum,
 Ensis erat, capulum stellatus iaspide fulua:
 Demissa ex humeris ardebat murice læna,
 Dædala quæ fecit subtilis munera sponfa.
 Sol medio ardebat cœlo, sacrisque peractis,
 Se cuncti adcingunt mensis dapibusque futuris:
 Atria tota patent referatis aurea valuis,
 Et proceres ineunt conuiuia: strata premuntur:
 Stant famuli, mensasque onerant & pocula ponunt;
 Implentur vino pateræ, quas impiger haurit
 Hospes, & iniussus pleno se proluit auro.
 Personat argutis testudoque eburnea neruis,
 Nec citharæ facilesque lyræ, nec carmina defunt,
 Ingeminant plausus proceres aliique sequuntur.

Talibus atque aliis contingit lusibus, amplam
 Ire diem, Phœbusque cadens Fescennia finit.
 Tingitur oceano sol: deserit Hesperus Oetam,

Nox

Nox fubit, & Veneris mollissima tempora vobis
 Proximioze sinunt amplexu iugiter vti.
 Ludite, (quid prohibet?) dum fessum Phœbus vtrumque
 Ad noua semotis inuitat gaudia stellis.
 Ludite, (quid prohibet?) gnauos dum grata parentes
 Vos bene progenies quondam lusisse fatetur!
 Fallimur? an faciles cupidissima vota precesque
 Inuenere Deos: non fallimur; omnia fiunt.
 Bis quater inconstans variat sua cornua Luna,
 Cum Catharina facit formosa prole parentem
 HENRICVM, lucemque videt Mauricius heros.
 Adstitit ad cunas genitor, magnumque rotari
 Dum videt hæredem, non pondus amabile læta
 Fastidit tractare manu, vestigia signat
 Lætitiæ, similemque sibi contingere natum
 Gaudet, materiamque recens in gaudia paruus
 Porrigit Augustus; nec in hoc tibi ponere, Princeps,
 Lætitiæ finem placuit Diis: plura sequuntur
 Pignora læta tori, quæ vel matura parenti
 Atropos eripuit, quæ vel longæua senectus
 Flebilia in cani seruauit funera patris.

Felix & natis, felix & coniuge princeps,
 Et cui, si deesset fraudati iniuria regni,
 Omnia contigerant, Freybergæ tutus in arce

Flo-

Florentes tenera cum coniuge tranfigit annos.
 Iam modo per campos, & opertos arbore montes
 Veloces canibus lepores indagat Iberis:
 Iam ceruæ tremebunda videt pulsare cruentum
 Membra solum, certis quam conficit ille sagittis:
 Cornibus arboreis ceruorum ingentia rursus
 Corpora fundit humi: curto succinctus amictu,
 Tela tenet dextra lato vibrantia ferro,
 Insequitur, fetisque graues horrentibus apros.
 Transfigit, cædesque nouis dum cædibus vrget,
 Semper lina madent: Princeps, operique decoro
 Acrius insistis, comitesque hortatibus vrges
 Vsque tuos, pedicasque leues conuoluere vitas,
 Donec opaca graui tibi nox caligine, certa
 Denegat ire via: nec vix sol furgit ab vndis,
 Intercepta tibi cum sint repetenda laborum
 Tempora; nam noctu quoties, humentibus herbis,
 Frigidiore manes venator sub Ioue, mollis
 Oblitus thalami: pharetratæ iura Dianæ
 Montibus exerces, saltusque indagine cingis?
 Sed non tanta canum te cepit cura: cupido
 Nec tanta, infantum maduiffe cruore ferarum,
 Pectore confedit, quo non tibi publica gentis
 Commoda sint promouenda, sacras quæ læta secures

Sub-

Submittit tibi, deque bono sibi principe semper
 Gratatur merito. Nam tot tibi splendida famæ
 Moliris monumenta tuæ, mansura per omnem
 Annorum feriem: quæ, fractis viribus, imber
 Tollere nescit edax: quæ vanas temporis iras,
 Certantesque feris spernunt Aquilonibus Austros,
 Regalique situ, si non æquanda Colosso,
 Vtilitate tamen superant; mox sedulus urbem
 Adiicis eximiam, queis polles, urbibus: ædes
 Dum condis, meritæ non parua adcretio laudis
 Nascitur inde tibi. Opus hoc est principe dignum,
 Communem propriæ longe præferre salutem,
 Nec sibi, sed famulæ facilem se ostendere terræ.

Est locus, inclusus præruptis vndique faxis,
 Montibus in summis pecudes, nemoralibus umbris
 Incola tectus agit: lasciuus ille iuuenis
 Vomere vertit agros, dum glebas ille iacentes
 Pectine diducit, mollitæ & pinguia terræ
 Semina committit, segetes habiturus opimas.
 Panduntur virides, spatiis immanibus, horti,
 Altaque frugiparus, placidis madefactus ab undis,
 Culmina cingit ager: torui cum vulpibus apri
 Hic coeunt: hic prata virent: hic hœdus & agnus
 Subfilit & curuo suspirat taurus aratro:
 Lanigerique greges tenero data pabula morfu

Tun-

Tundunt: hic celsum scopulis imitatus Olympum
 Mons aperit valles: valles, quibus antra dehiscunt
 Horrida, visceribus fossori larga metalla,
 Occultas & opes præbent; quid plurima iactem?
 Fruges arua; feras filuæ; dant flumina pisces.
 Sed qua nimbiferos declinat Misnia ad Austros,
 Vrbs vetus irrigui iacet ad cunabula Zschopæ,
 Præsnicias vbi lambit aquas: * NVBESque LAPISque
 Nomina nota dedit: sparsæ, (mirabile dictu!)
 Per iuga dura domus hærent: qua flatibus urbem
 Adgreditur Boreas, medicata stridulus vnda
 Fons in valle fluit, non vltima gloria vallis,
 Nec minus vrbs honos, quæ nostri est conscia partus.
 Hic domus: hic sedes: hic sunt penetralia magni
 HENRICI; hic, residens exstructa in rupibus arce;
 Iura dabat populis interdum: hic illius ara, **
 Hic conclaue fuit: nostris celebratur in oris
 Fama viri, semperque nouo clarebit honore,
 Mœnia dum durant patriæ, dum Zschopa supinis
 Montibus effusus, spumosa aduoluitur vnda.

Qua

* Wolkenstein, oppidum non ignobile in tractu, quem dicunt, metallifero.

** Superfunt adhuc, in arce Wolkensteinensi, non solum rudera *Sacelli, die Capelle*, sed & celebratur ibidem conclaue amœnissimi prospectus, *Henrico* nostro inprimis habitatum, vulgo *das Fürstenstübchen*.

Qua nouus umbrosas sol lustrat lampade terras,
 Cum lucem reuehit tenebris, aurora, fugatis,
 Stat vetus & multos incædua filua per annos.
 In medio fons est, ad quem, radiantibus astris,
 Depositura sitim properat fera; in ilice opaca
 Dulce queruntur aues. Iactes modo splendida cultus
 Gargaphie, fontesque tuos, vbi punice viuo,
 Et leuibus tophis surgunt compagibus arcus.
 Colle tumet modico, lenique excreuit in altum
 Pingue solum tumulo, super hunc sibi mœnia princeps
 Vult urbem cinctura nouam consurgere, nomen
 Cui faciat Maria sacrum, cui monsque vetustus
 Amplificet titulos, Mariæberga, verendos.
 Nulla mora; ardentes instant ad iussa coloni;
 Denuo feruet opus: properat pars ducere muros,
 Molirique arcem: pars immanesque columnas
 Rupibus excidunt, & grandia voluere faxa
 Robustis gaudent manibus: parat altera tecto
 Pars aptare locum: describens vomere princeps
 Fundamenta, dabat leges operumque laborem
 Partibus æquabat iustis. Fastigia surgunt
 Nunc arcis: stupet ipse noua, quam condidit, vrbe
 HENRICVS subito, quondam stabula alta ferarum.
 Miratur portas, strepitusque forumque viasque,
 Et, me felicem, cui iam noua mœnia surgunt!

Se-

Secum ait; & stabilis toties repetita fauoris
 Vrbi signa sui monstrat: ceu pignora lecti
 Prima sinu refouet mater tenerique puelli
 Obseruat timidos, immoto lumine, gressus.

Iam stabant muri, stabant & nomina magni
 Et fortuna Ducis; modo iam Freyberga parentem
 Iam modo Wolkensteina tenent, atque altera forti
 Inuidet alterius; nam tanto ducis amore
 Adstrictos, HENRICE, tuos, & tempore nullo,
 Inmemores finis esse tui: sic cernimus ægrum,
 Arida cui lentæ depascunt corpora febres,
 Explorare diem, dulcis vacuumque quietis,
 Postera succedat lux nocti, pectore toto,
 Optare, atque nouo sperare leuamina Phœbo.

Haëtenus obscuris hominum nox mentibus atra
 Incubuit, potuitque sibi temerata nefando
 Dogmate displicuisse fides: sub legibus orbem
 Roma diu pressit: tenuerunt crimina fasces,
 Sceptra scelus: dii filuere oracula verbi.
 Nullus amor pietasque fuit: Romana lubido,
 Pro pietate, stetit, nam numinis inscia vulgi
 Turba ruit misere studia in perdentia; fæuus
 Thrax vt equi torquet ferratis ora lupa s,
 Hinc atque inde trahit; per deuia lustra vagantes

C

Sic

Sic egit Papæ pauidas infania gentes.
 Viderat ætherea superum regnator ab arce
 Undique collectas vectari in Tartara prædas.
 Ingemit hinc genitor, patrio miseratus amore
 Terrigenas cæcos, atque in sua sponte ruentem
 Damna gregem; Secum: mortalia pectora quantum
 Coecæ noctis habent! diuina ab origine mentes
 Heu! quot aberrantes neglecti tramite recti
 In sua deducit stygii prædator auerni
 Vincula; num, natus quotquot sibi, morte cruenta,
 Adferuit famulos, patiar succumbere leto,
 Informesque domos, obscuraque regna subire?
 Non ita; sed potius cœli melioris ad auras,
 Vt fas est, reuocentur, ait; celeremque ministrum,
 Qui sancto diuina ferat mandata Luthero,
 Dimittit. Rerum est series longissima: longæ
 Ambages; modo summa sequar fastigia facti.
 Nam, licet ex centum mihi personet oribus alta
 Vox, tamen haud dignis complecterer omnia verbis.

Vrbs Witeberga iacet sinuoso in littore clari
 Albidos, indigenas inter memorabilis vrbes.
 Aduena in incerto est, positas an in orbe vetustas
 Saxonico videat, quando urbem cernit, Athenas,
 Transierint vel an huc extranea Theffala Tempe?

Hanc

Hanc Pallas fertur, Tyrios vt Iuno penates,
 Posthabitis habitasse tuis, Priameia Troia,
 Moenibus, aut, septem quæ pandunt ostia, Thebis.
 Atque huius, memorant, tenuerunt moenia quondam
 Conspicuum pietate virum, si forte Lutheri
 (Cui lateat?) vestras Martini insigne per aures
 Nomen iit; nulli cessit pietate nec arte,
 Nulla dedit melior sacras facundia voces.
 Huius erat, iuuenes, qui splendida signa sequuntur
 Palladis, vt doceat virtuti assuescere, cuius
 Se bona per cunctam diffundunt commoda vitam
 Instituatque rudes, & doctos reddat vt arte.
 Hic, vbi tanta videt fidei tristissima fata,
 Et quantis pietas scoriis commista iaceret,
 Et leuitate Deum quanta mortalis adoret,
 Ingemit, atque tument iusta præcordia bile.
 Hæc secum: o homines, quæ vos dementia cepit?
 Tanta ne, mortales, audacia barbara tandem
 Pectora lymphauit, iustas, (quis talia credat!)
 Numinis vt summi leges, violare nefandum
 Non reputetis? ait; iam stat sententia, Papæ
 Viribus iniustum cunctis diuellere regnum,
 Sit, licet vt deceat multos & adire labores,
 Ipsius & vitæ funesta subire pericla.

Talia Martinus secum tunc corde volutans,
 Magnum opus adgreditur, stricto non ense, nec armis;
 Penna fuit, diros quæ tot prostrauerat hostes.
 Atque ita ad interitum sensum mala vergere cœpit
 Barbaries Papæ, pietasque reducitur orbi.
 Vt si quis filicis scintillam excudit, vt inde
 Ignem suscipiat, cui nutrimenta ministres,
 Euolat in flammæ & verrit singula secum;
 Sic tua per terras subito grassatur, eundo
 Maioresque capit vires doctrina per orbem.
 Nam multos socios habuisti, sancte Luthere,
 Discipulosque probos, qui dogmata pura salutis
 Acciperent, alios constanterque ista docerent.
 Prisca Dei emotis rediit reuerentia nugis,
 Forma nouata dein, post tot discrimina, surgit,
 Atque datur plebi diuini copia verbi,
 Quod patria reddit lingua Martinus, & ipse
 Prædicat. Hæc cultus fuerant primordia nostri!

Interea sapuit fero Germania; tandem
 Artibus ingenuis facies exulta refurgit
 Et mentes hominum, crassa caligine tectas,
 Martinus focique pii, largo igne, serenant.
 Sed dum Papa videt, Petri quam moesta carinæ
 Naufragia immineant, Martinus quanta minetur

Exitia,

Exitia, exardens, flammato hæc pectore, dixit:
 Ille ego, qui teneo terrarum legibus orbem,
 Cuius & ante thronum rex omnis, poplite flexo,
 Procidit, & nostrum deuotus numen adorat,
 Nonne viro cum vno, non victus, bella tot annos
 Ipse geram, & quisquam tribuet, quos debet, honores
 Præterea nobis? Sed certe fata vetabunt,
 Quo minus abiectum monachum submergere possim?
 Dixit; & adgreditur Martinum; singula mortem
 Intentantque viro, superat spes parua salutis.
 Numinis auxilio hic nisus, nil tale veretur,
 More sed oppressæ palmæ, caput altius effert,
 Ac hilaris duplices tendens ad sidera palmas,
 Hæc ait: alme Deus, mea nunc incepta secundes!
 Nam tua res agitur, diuinum spectat honorem!
 O! defende tuum populum, defende tuasque
 Leges, nec manibus nos hostis trade superbi!
 Nec mora; Martinum quæsi ferre repulsam
 Non finit Omnipotens, sed clemens adnuit illi.

Dux erat, immoti Ioannis * nomine clarus
 Saxonæ, mentis superans illustre parentum
 Nobilitate genus, verus pietatis amator.
 Huic Deus, aliorum qui nutu pectora regum

C 3

Diri-

* Ioannes Constans, Elector Saxonæ.

Dirigit, & mentes hominum, ceu flumina, versat,
 Indidit ingentem veri coelestis amorem,
 Vt sua doctrinae suffragia sponte Lutheri
 Adderet, atque viro pro sancto staret amicus.
 Atque ita Saxonicae Martinus tegmine rutae
 Tutus erat; Papae sic fulmina cassa cadebant.
 Qui cum tanta videt, mentem vesania maior
 Ingreditur, viresque novas capit ira tyranni.
 Carolus imperii pollebat fascibus; illum
 Adloquitur: Tua nos equidem, carissime fili,
 Non fugit immensum pietas spectata per orbem;
 Ast illi poteris non paruas addere laudes.
 Gens inimica mihi dudum palatur in agris
 Saxonis, veteres nobis quae tollit honores.
 Hos age diuersos, vel ferro perde, vel igni,
 Atque tuas nostris vires coniunge potentes.
 Dixerat; & Caesar falsa pietate mouetur,
 Annuat ut precibus; patitur vim candida virtus,
 Iusque datur sceleri: largo vndant sanguine campi.
 Non ita turbo fremit, cum terras murmure perflat,
 Et virides firmis frutices e sedibus aufert.
 Papae quam feritas infantes mille nefanda
 Abstulit vna dies focios tibi, sancte Luthere!

Talia cum in mundo, diuina lege, geruntur,
 Crescit amor veri, nostrae tot regna, tot vrbes,

Tot-

Totque viri celebres, subito, (mirabile dictu!)
 Se iungunt fidei, quos si memorare placeret,
 Ante diem clauso componet vesper Olympo.
 Carolus interea ponit crudelia Cæsar
 Corda, volente Deo. Tandem bona causa triumphat.

Sed PIVS HENRICVS, diuino incensus amore
 Aestuat, & meritas in Papam concipit iras.
 Dogmata pura placent, nec dogmata falsa probantur.
 Numina lætabundus adit placanda sacerdos:
 Lubrica nec vanæ deludunt lumina pompæ;
 Fabula prisca filet sanctorum, atque ostia cœli,
 Iam pridem interclusa dolis technisque malignis,
 Ecce! patent rursus, fatuusque exstinguitur ignis,
 Quo fit fas animas, (credat deuotus Iberus,
 Non ego!) criminibus quondam expurgare nocentes.
 HENRICVS meliora probat, sequiturque probata,
 Deteriora fugit, panditque sacraria vero.
 Altera erat fratri mens, altera cura Georgo;
 Huic furor agnatos fraterno pectore amores
 Abstulit; & vanum spirant præcordia Papam.
 Cernitur antiquis expelli turba piorum
 Sedibus, & lacrimis oculos suffusa nitentes,
 Barbariem plorare Ducis, quos optimus omnes
 Excipit HENRICVS, fociosque in fœdera sumit.

Non tulit hoc frater; sed quo de tramite recti
 Verteret HENRICVM, cura summoque labore
 Infistit, mandata, preces confundit in vnum,
 Interdumque minas precibus crudeliter addit.
 Tunc PIVS HENRICVS iustas exarsit in iras,
 Et, tibi quid, dixit, tandem, sæuissime fratrum,
 In me iuris erit? Sic, nos tellure paterna
 Defraudasse parum, & sceptris caruisse propinquis?
 Num quoque coelestis patiar dispendia fortis?
 Falleris; ante leui, cum coniuge, arundine nixus,
 Adgrediar fuscus, exsul mæstissimus, Indos,
 Aut leuitate tibi Sardos rabieque minores
 Mauros, quam dias eiurent pectora leges.

Tum propior fati & summo Gorgius æuo
 Respicit ad patrias vrbes & Misnidos oram.
 Quippe animum subit atra dies, qua linquere terras
 Debeat, & patrias hæredi tradere fedes.
 Illi autem tumida stabat defixus in ira
 HENRICVS frater, geminique e fratre nepotes,
 Misnidos hæredes, sancti sed amore Lutheri
 Infensi: cane quem peius sæuoque dracone,
 Oderat, Aufonii iuratus in agmina Papæ.
 Tum primum manifesta fides, patruique patescit
 Omnibus ingenium. Nam tanto percitus oestro

Fla-

Flagrabat Papæ, tanto Babylonis amore
 Aufoniæ, vt, spreto germani sanguine, fratris
 Respuat hæredem, quisquis diuersa sequatur
 Nomina, nec ritus secum veneretur eosdem.
 Quin etiam firmis sua testamenta tabellis
 Conficit, & patrias, tibi, Cæsar Carole, terras
 Commendat, dominumque iubet præponere, quisquis
 Adferat Aufonios, patrio sub limite, Papas.

Nuncius ante tamen placet vt mittatur ad aures
 HENRICI, qui nota animi spiramina tentet
 Frangere, & extrema fratrem deterreat ira:
 Hortetur, patriæ dominus succedat & aulæ,
 Alberti de more patris, de more penatum,
 Nec sua falsidici doctrinis templa Lutheri
 Imbuat, aut aras & limina sancta profanet.
 Sin minus & terris, & regno excedat auito.
 Forte ibi legatis prudentior omnibus vnus
 Ecquid, ait, tanti facias documenta Lutheri,
 Vt bona tot perdas? Nam tu quas inde reportas
 Diuitias, Princeps? Pridem mos ille valebat,
 Regales contemnere opes, contemnere honores,
 Cultibus humanis diuum præponere cultus.
 Felix nunc, felix, qui prætulit utile recto,
 Qui, quæ vult, simulare potest: qui pectore ficto

Diffimulare potest! Hodie, qui spernit honestum,
 Ditescit, qui seruat, eget: quem detinet æqui
 Gloria, non æquum, sed iniquum, proh dolor! aufert.
 Tu quoque dissimula; feret hæc tibi certa salutem
 Conditio, & magnam subito cumulabit opum vim.

Dixerat; ille repens herosa excanduit ira,
 Quis furor huic, inquit, quæ te, germane, furentem
 Mens agit in facinus, quæ tanta licentia monstro?
 An Satanae pronus furiabile numen adorem,
 Ut mihi det regnum, det opes, det montibus altis
 Impositas arces perituraque munera terræ?
 O! longum pereant thesauri, & quicquid ubique est
 Regnorum, quam, Christe Deus, tua iura resoluam!
 Nam mihi vel tellus, optem, prius ima dehiscat,
 Quam, quæ tecum ini, castissima fœdera rumpam.
 Quæ mihi debentur iustis patrimonia fati,
 Non his me Cæsar, non interuertere Papa,
 Villo iure, potest, nisi vi, nisi cuspide ferri.

Talibus attonitos dictis, ad tecta remittit
 Patria, vt hæc referant fratrique audita reponant.
 Heu! pietas, heu! prisca fides, hoc rarior æuo
 Rarior in terris, quam pastus in æthere ceruus.
 Ecce! autem patrias dum conuertuntur ad vrbes,
 Legati, interea mors occupat atra Georgum,

Irri-

Irrita gerinani frustra responsa morantem.
 Omnis tum forte HENRICO sua Misnia cessit,
 Quoque diu caruit, potitur telluris auitæ
 Sceptro hæres, omnemque sibi mox subiugat oram.
 Sic tumidi quondam maris eluctata procellis
 Turbineo prius acta noto, cum littus amicum
 Attigit, inflato puppis subit ostia velo:
 Illam omnes nautæ festiua fronde coronant.

Protinus instaurat sacris solemnibus ædes,
 Atque aras lustrat, simulacraque vana Deorum
 Subruit, Hiskiaæ exemplum moremque secutus,
 Aenea qui quondam subuertit signa colubri,
 Mosaicæ pietatis opus, cui, pectore læuo,
 Foeda superstitione diuum decrerat honorem.
 O! nimis optato seclorum tempore nati
 Heroes, saluete, Deum genus: inclute factis
 Joannes, præstansque, HENRICE, potentibus ausis!
 Misnia tuta iacet; talem sensere Quirites
 Augustum: quondam sic Martia Roma furentes
 Despexit populos fidis munita Camillis.

Sed veluti, medio cum sol altissimus orbe
 Aestuat, & campi coelesti lumine rident,
 Collectæ subito nubes coelumque diemque
 Tollunt ex oculis: timido nox incubat orbi,

Con-

Concrepitantque poli, tumidusque micantibus æther
 Ignibus errantes exterret rure capellas;
 Territa non aliter maturo Misnia fato
 Concutitur domini. Nulla est perfecta voluptas!

Nam PIVS HENRICVS, curis confumtus & annis
 Signaque rugosa gestans in fronte senectæ,
 Sentit adesse diem, fatali lege fororum,
 Corpore quo posito, tranquillis redditus astris,
 Sorte frui meliore queat: subit inde paternæ
 Cura Ducem terræ, cuius validisque lacertis
 Orbati imperii pene intractabile pondus
 Imponat, molemque grauem, sub corde volutat.
 Adstitit ad thalamum maior Mauricius æuo,
 Et mandata patris demissa mente moratur.
 Cui pater: inuenere modum mea cura laborque.
 Sors mea coelestis; nil me terrestre retardat;
 Sat patriæ inuigilasse bonis: te debita fatis
 Sceptra patris tractare decet: tibi iura paternas
 In terras natura dedit, populoque fideli
 Te damus hæredem: te successore tueri
 Nos volumus; patris vitam moresque sequaris.
 Principis est, seruare fidem legesque tueri:
 Sæuire in vitium: vexato parcere ciui:
 Iustitiam ius fasque sequi: defendere sanctum

Relli-

Religionis opus, patriæque augere salutem.
 Magna fero moriens tacitus solatia ad umbras,
 Te natum superesse mihi - - pars vltima vocis
 In medio supressa sono est, exspirat, & altus
 Exoritur clamorque virum clangorque gementum:
 Omnia complentur gemitu; patresque togati
 Te lacrimant, milesque grauis: te doctus aratro
 Vertere rura gemit fossor: te Misnia plorat
 Imperio viduata suo: palatia, turrets,
 Altaque tecta ducum squallent: stant limine taxi,
 Funereasque adolet pietas turbata cupressos,
 Atque Duci facit inferias, quo vindice, semper
 Inconcussa stetit: tristis fit præfica virtus.
 Non omnis moreris, nam pars tua maxima vitæ
 Vitabit Libitinam, & laus tibi postera crescit.
 Qua dignum te laude feram, Dux magne, beatis
 Proxime Diis, qui, cum moreris, plus viuere mundo
 Incipis, & magna, post funera, laude superstes,
 Clara per ora virum volitas, semperque virescis?
 Singula complecti cuperem, tot nomina recti,
 Virtutumque choros, nisi se densissima nobis
 Factorum offerret series, laudumque tuarum
 Diluuiο obruerer: merito nisi, carmine in vno,
 Tantarum dubitem cumulos aduoluere rerum.
 Laudem iustitiam? resplendet gloria Martis;

Arma-

Armati referam vires? non splendida versus
 Se pietas tacuisse velit; pietatis amantem
 Si narrem, splendebit amor, quo semper egenas
 Sueverat innumeris opibus ditare cateruas.

Musa, precare Duci requiem, dum grande cadauer
 Tollimus, & tumulum ingenti decernimus vimbæ.
 Sed nos æternis sculpamus carmina faxis:
*Sta, cineres venerare sacros: capit illa potentem
 Vrna ducem, vastos mens circumuoluitur axes.
 Multi illum casus, multi pressere labores,
 Quos tamen intrepidæ vicit constantia mentis.
 Nulli illum casus, nulli oppressere labores.*



GODOFREDI EPHRAIM MULLERI

WOLKENSTEIN. MISN.

CARMINVM

ALIQVOT

IVVENILITER SCRIPTORVM

FARRAGO.

AB A. O. R. clō Io cc xxxii - xxxv.

GODFREY ERICSON

NEW YORK

CARMINA

ALSO


IN THE

FARRAGO

AS A G. E. CHURCH - 1885

C

2 of 2
2000
1000



I. ODE
in
sacram Cœnam.

Prudentius.
Fercula nostra Deum sapiunt.

Christe, caesari reparator orbis,
Cui mare arguta famulatur vnda,
Seruiunt lenes Zephyri, proteruus
Seruit & Eurus.

Si tibi auratis niueisque templis
Serta pendemus, sacra si diemque
Iunus, & vitta tibi dedicatas

Cingimus aras:

D

Huc

Huc ades, tecum & comites venustis
 Et Salus & Pax properent quadrigis,
 Et latus sancti genii, corusco
 Agmine, stipent!

Nos fames diuina sitisque sacra
 Nos tuas, Seruator, adire menfas
 Vrget, & cœnæ lepor, hospitalis
 Vrget amorque.

Ite vulgatæ, procul ite, mentes,
 Et profanatos remouete gressus:
 Hic Deus, certe! Deus est; pudica
 Mente fauete.

Mira mirandi species amoris!
 Vidimus Christum modica farina,
 Vidimus Christum quoque gratiosa
 Vite latentem!

Lautius fiet dapibus quid istis?
 Cantharis quid vel melius sacratiss?
 Præ quibus dulces veteris Tibisci
 Spernimus vuas.

Audiat iustas tibi, Christe, laudes
 Potor extremi peregrinus Indi:
 Audiant Thraces rigidi: remotus
 Audiat Hæmus!

Te

Te fonent docti reboante montes
 Rupe: te lato spatio patentes
 Campi & auritæ referant fonoro
 Murmure filuæ!

Præcipe ad zonas iter æstuosas,
 Quo Canis sicco latrat acer astro,
 Aut vbi Taurus minitatur alto
 Cornua cælo.

Nos vel ad pigros remoue Triones,
 Pelle ad hibernas, & eamus, Vrfas;
 Dulce folantem Dominum canemus,
 Dulce cibantem.



II. ODE

in

Natalem Seruatoris O. M.

Morbosus.

O noctem sibi non piisque noctem,
Sed quam Lux vetat esse tanta noctem.

Iam fessus roseum cauis
Sol vndis caput abdidit,
Hortanturque micantia
Molles fidera fomnos.

Sed quis • luminibus grauem
Torporem nouus excutit
Splendor, quale recens iubar
Fœdas dissipat vinbras?

Fallor? rupit aheneos
Audax turpiter ordines
Natura, aut solitas vices
Mutant noxque diesque?

Fallor; cuncta manent enim.
Quid dum? gloria cœlitum
Et proles similis patri
Pulcris decidit astris.

Pro-

Promissus patribus Deus
 Duris impositus vagit
 Cunis, quem proprio hospitem
 Virgo protulit orbi.

Salve sancte mihi puer,
 Ter salve atque iterum quater!
 Quo digno celebrem tuas
 Sanctas carmine laudes?

O quem Te memorem? grauem
 Noctem mentibus infitam
 Pellas fortiter, vt tua
 Orbis luce coruscet!



III. ODE
ad
Amicum abeuntem.

Ovidius.

- . . . fugit irreparabile tempus;

Eheu! fugaci tempora tempora
Motu recedunt, nec remoram dies
Norunt rapaces, nec cadentes,
Quo fugiunt, reuocabis horas.

Non sic citatas in Balearicum
Vndas Iberus præcipitat mare:
Nec fauce riuos vulturina
Sic Thetys imbibit influentes;

Non sic vibratum missile flexili
Cornu per auras ire leues amat
Densasque nubes dissipare,
Quam celeres agitantur anni.

Amice, verbis testis ades meis
Laudandus; omnes rite dies tuos
Cautus locasti: glorioso
Præmia nunc cape digna nisu.

Gra

Gratamur omnes hæc tibi gaudia,
 Et plura quondam præscius auguror.
 Nam semper in se sancta Virtus
 Inueniet pretium laboris.

Hinc porro fluxæ, quum datur, vtere
 Amice, vitæ tempore; nos manent
 Nos fata, fulgens siue Titan,
 Siue vehat niger ista vesper.



IV. ODE

ad

Vatem incomparabilem

B**

de eius syncharistico AVGVSTO III. dicto.

Horatius.

- - - - putes hunc esse Poetam,
 Ingenium cui sit, cui mens diuinior, atque os
 Magna sonaturum.

Nec tu sinistro crederis omine
 Desideratam Castalidum domum
 Vidisse, sed Phœbo Latinos
 Auspice sollicitasse neruos,

Apollinari semper adorea
 Donandus, altos siue canis Deos
 Genusque mansuetum Deorum,
 Siue leui super alta vectus

Penna, relicto sub pedibus solo,
 Inusitatos carmine Numinis,
 Quod Sala miratur stupetque,
 Aufonio celebras amores.

Victoriosis sic stygium Iouem
 Demulcet Orpheus cantibus; obticet
 Trilingue monstrum & tres Sorores,
 Et placidæ lacrimantur Vimbæ.

Vel

Vel sic marinæ tergore belluæ
 Inuecte vates, immobiles chely
 Flexisse muros atque leges
 Diceris imposuisse filuis.

Testudo, salve, ter mihi & amplius
 Saule, facetus qua bene B**

Aequat vetustos arte vates,
 Et numerosque salesque Horati.

Non inuidemus laudibus inclutos,
 Auguste, Flaccos & Varios tuis;
 Nunc quippe præcones honoris
 Rex habet ecce! meus disertos.

Albis sonoros ad strepitus lyræ
 Muscosum apertis exseruit caput
 Vndis, fonosque aurita quercus
 Et patuli retulere montes.

Cur non decentes hinc tibi gratias,
 B**, rependam, qui tua, candidam
 Ceu tesseram prisca fauoris,
 Carmina culta mihi dedisti?

Permitte, Vates, insuperabilis
 Quando aura cygnum te leuat, vt tuos,
 Ceu coruus, audaci volatu,
 Qua potero, sequerer recessus.

V. ODE.
 TRIUMPHVS
 AVGVSTI III.
 GETICI SARMATICI
 PACATIS POLONIIS.

Sarbieuius.

o Lux, o veterum recens
 Sidus *Iagellorum*, o patriæ Pater,
 Sarmatiæ *Cynosura*, salve!

Inusitato nec solito feror
 Furore; fontes fistite murmura,
 Silete venti: AVGVSTI opimos
 Sarmatici meditor triumphos.

Qui, vindicatis inuidiæ dolis,
 Iniecit armis frena rebellibus,
 Legesque victor gratiosas
 Imposuit populo volenti.

Qui, ceu timendus Rex animantium,
 Leo, reiectis fortiter hostibus,
 Vincit, nec indigna superbum
 Dedecorat rabie triumphum.

Vidit

Vidit nocentem Vistula sanguinem
 Fluxisse, vidit cæde Borysthenes
 Non vna Alanos prouocatas
 Nequitiaë retulisse pœnas.

Multo repleti prata cadauere
 Vidit Polonus, vidit & horruit,
 Tantam timens cladem, daturus
 Progeniem sapientiorein.

Dantisca vidit mœnia Gallia
 Luisse pacti non bene fœderis
 Pœnas, & indignatur vsque
 Marte capi domitata nostro.

Labuntur arces, mœnia concidunt,
 Tormenta centum e faucibus exspuunt
 Ignesque ferratasque mortes,
 Igniuomas imitata nubes.

Inauspicato more superbiam
 Ponens inermis Gallus, iniquius
 Pacem rogauit, mox sopitæ
 Perfidiaë pretiosus emtor.

Sed iam recuruo poplite gratiam
 Implorat hostis Principis optimi,
 Vincendo qui victis pepercit,
 Leucadium & reuocauit Aurum.

Mars

Mars omnis aruis exulat, exulat
 Bellum, atque belli Mors comes horrida;
 Iuratum & in fœdus fideles,
 Sponte sua, coeunt Poloni.

Conscende, Victor Rex, Tibi debitum
 Currum triumphi, palmaque nobilis,
 Hostesque deuincto catenis
 Agmine condecorent triumphum.

Pax, Teque Pacis candida munera,
 Et alma stipent, Rex bone, Faustitas.
 Tibique fortunata cornu
 Copia se societ benigno.

Sacro verendi munere Præsules,
 Et, quem venustat nobilitas, Eques,
 Te Principem & Regem & Parentem
 Ore suum venerantur vno.

AVGVSTE, salve, circaque tempora
 Labore laurum promeritam graui
 Connecte, victrices & inter
 Serpere fac hederam coronas.

Fallorne? in aula quæ tibi dulciter
 Iam vagit infans filia, splendidos
 Pluresque portendit triumphos,
 Spem patriæ tuitura nostræ?

Ser-

Serues, precamur, iura Poloniæ,
 Et fraudis artes hinc procul arceas,
 Nec te, superbos aut inultos,
 Rege, finas equitare Gallos.

Te fluxuosæ littora Vistulæ
 Bene ominato murmure prædicent,
 Tibique, nunquam deferenda
 Lege, Pater famuletur Albis.

Horatius.

• • hic magnos potius triumphos
 Hic ames dici pater atque princeps!



VI. ODE

ad

Senatum vtrumque,
 tum Regis Ecclesiasticum, tum vrbis
 Dresdæ ciuicum,
 cum
 ei *Otium* suum *philologicum*
 dedicaret.

Horatius.

Custode tanto - - non furor
 Ciuilis, aut vis exiget otium.

Vos, o SENATVS splendida lumina
 Illustrioris, seu placidi PATRES,
 Seu sancto amatis CILNIIque
 Nomine, seu CLARII vocari.

Huc, huc benignis, si vacat, auribus,
 Vultu benigno, Pieridi meæ
 Adeste, vestris victimasque
 Thuraque dum meditatur, aris.

Vestro beatam, confiteor, meam,
 Si qua est, fauori, plus vice simplici,
 Debere fortem, qui, absque pausa,
 Nunc mihi, nunc alii est benignus.

Qualis refracto fertilis ostio
 Septemplici Nilus Pharios agros
 Inundat, atque (optatus anni)
 Nuncius esse solet colono

Fœcundioris; vester amor quoque
 Sic copioso leniter alueo,
 (Expertus adsum testis ipse!)
 Fertur in Aonidum virecta.

Camena vobis hinc mea quæ parat
 Vestra beatis munera gratia,
 Obtestor, & fitis mearum
 Vsque decus columenque rerum!

* * *

Et vestra, PATRES, Pierias Deas
 Vrbs nutrit, atque hic fons Aganippidos
 Leni suas stridore lymphas
 Albiacis bene miscet vndis.

Seu sacra præstat non temeraria
 Industria illustrare volumina,
 Seu fabulam enodare Græcam
 Ausonias sapientiasque.

Non

Non indecoro puluere fordidus,
 Vobisque, non ignobilis otii
 Sisto mei, (si digna fisti;)
 Prima viris monumenta tantis.

Sic Musa vestram munere curiam,
 Sed viliori, grata adeat: mea
 Vobisque sic semper probentur
 Otia, nec minus & labores!



*) o (*

VII. ECLOGA,
in
Natalem Parentis.

Virgilius.

Non iniussa cano.

LYCIDAS. MENALCAS.

Frigida sopitos iam nox contraxerat ignes,
Solque nouis euectus equis prospexerat Oetam,
Cum pecus humantes lasciuis morsibus herbas
Tondet, & adpersis gemmant dumeta pruinis.
Stabat nuda comas ilex, foliisque superba
Fagus erat spoliata suis, nec frondibus orbæ
Pastor odorata tiliæ recubabat in umbra.
Scilicet infanus, violentis flatibus, Eurus
Dædaleas vastabat opes, quibus optima Tellus,
Vere renascenti, patulos ditauerat agros.
Forte sub arguto Lycidas confederat antro;
Illi erat imparibus septem compacta cicutis
Fistula: robustis humeris pendebat agrestis
Pera: cauernosa, curuato corpore, quercu
Nixus erat: fido fures arcente Lycisca,
Errabant saturæ, pacato rure, capellæ.

E

Ille

Ille sibi mitem felici fidere fortem
 Gratatur, carmenque leui modulatur auena:
 „Felix, quem streperæ non læuum fascinat vrbis
 „Cæcus amor; duro est vrbs exitiosa colono.
 „Rure viget Virtus, & pleno Copia cornu
 „Incedit, rarusque Pudor; Pudor exulat vrbe.
 „Felix, qui didicit validis sua rura iuuenis
 „Vertere, & vrbanae spectacula spernere pompæ.
 „Illius illæsam non perdent otia mentem,
 „Otia, Lernæis magis officientia monstris.
 „Felix, qui tugurî congesto cespite tecto
 „Mole laborantes postponit prouidus arces:
 „Felix, qui pomis & presso lacte dolentem
 „Tranquillat stomachum, lances mensasque nitentes
 „Nauseat, & Latii fastidit fercula luxus.
 „Viribus ille valet, febrique immunis ab omni
 „Longæuam feros vitam traducet in annos.

Haftenus: & tacuit; gressu latitante Menalcas
 Adstitit, & Lycidam sic est affatus amicum.

Menalcas.

Parce tuas, Lycida, nimium tentare Camenas,
 Parce, dies subiit nostris celebrandus auenis;

O Ly-

O Lycida, Lycida, Deus hæc, Deus otia fecit.
 Ille Deus iussit tutas errare capellas,
 Depulit & stabulis hostes, genus acre luporum.
 Spargite verbenas, bene odorum spargite anethum,
 Ferte rosas, viuos haurite e flumine rores,
 Fronde coronatas agnus tener imbuat aras.

Lycidas.

Ignoro, quid oues? miror tamen vsque; remissæ
 Lætitiæ quæ causa tuæ da quæso, Menalca.

Menalcas.

Pastor erat, Tiberis qua flaua fertilis vnda
 Subiectos fœcundat agros cytisumque triformem
 Et violas suauemque facit procrefcere nardum.
 Hic sibi filuestris mentitus numina Panos
 Pastores petulans pompa delusit inani.
 Hic alienus oues custos bis mulsit in hora,
 Atque hædis lanam & teneris lac abstulit agnis,
 Infelix o semper ouis pecus: ipse rapaci,
 Quas tueatur oues, infandum! fauce vorauit.
 Non tulit hoc nostris *Martinus* pastor in oris,
 Concepitque iras, socium iunxitque *Philippum*.

Ambo florentes tunc annis, viribus ambo,
 Et feruare greges, furesque arcere parati;
 Adgrediturque *Lycon*, (*Lycos* huic cognomen adhæsit
 Ex vero ductum,) viridi succinctus amictu,
 Dextra pedum paribus nodis atque ære venustum,
 Læua tenet doctam lapides emittere fundam.
 Commisere manus. *Lycos* occubat; alter opimas
Martinus prædas, filua adplaudente, reportat,
 Atque profanatos, fausto omine, lustrat agellos.
 Omnia non memorem; longa est narratio facti,
 Hinc libuit modo summa sequi fastigia rerum.
 Tu tantum, *Lycida*, quis nescit cætera? tantum
 Sensibus æternis, (res est non parua!) reponas.
 Ex illo est tuto nemo infidiatus ouili,
 Ex illo læta vites propagine crescunt,
 Vuaque depressis pendet rubicunda racemis,
 Inuitantque graues flauentia iugera falces.
 Hunc quoniam axe diem reuolubilis attulit annus,
 Qui nobis dubio concessit Marte coronam,
 Incipe, age, alternis dicamus carmina Musis.

Lycidas.

Iam modo ego tenui meditabar arundine cantum,
 Magnaque despecti mirabar commoda ruris;

Nunc

Nunc me, quod memoras, rapit in noua carmina festum,
 Ille dies duplici mihi nomine, crede, Menalca,
 Festus adest, festusque manet, dum piscis amabit
 Flumina, dum pratis mollis nascetur amomus,
 Florebuntque leues, edera pallente, corymbi.
 Hic fuit ille dies, quo nostri sanguinis auctor,
 Pastor, oues liquidum cogens, *Melibæus*, ad Albin,
 Carpere vitales insueti luminis auras
 Cœperat; hoc vitæ crescentes ordinat annos,
 Iamque duodenum trepidat concludere lustrum.
 Huc ades, atque tuas nostris coniunge Camenas.
 Carmina sunt caro, sed quæ legat ipse, parenti
 Carmina sunt dicenda; neget quis carmina patri?
 Incipe! nam fieri mandat sibi talia festum.

Menalcas.

Quotquot arenoso ludunt in gurgite pisces,
 Gramina, quot verno producunt tempore campi,
 Tot patri placidos concedant numina soles!

Lycidas.

Ante legant violas loliis & lilia spinis,
 Castaneasque nuces lauris, vaccinia myrtis,
 Quam Deus absistat patris curare salutem.

Me-

Menalcas.

Salve, feste dies, melli mihi dulcior Hyblæ,
 Candidior cygnis, vacca formosior alba!
 Salve, feste dies iterum! felicibus opto
 Auspiciis meliora diem mihi secula feruent!

Lycidas.

Pone cauam buxum: iam fat cantauimus ambo.
 Cætera scribamus viridanti in cortice fagi.
 Coge pecus: patula placet hac recubare sub orno.



Lycidas.

Ante legant violas & lilia spina,
 Calathæque iunctæ lantæ, vicia in myrtis,
 Quam Deus ablitat parva curæ salacem.

Ms.

Litdat nr A 1151

Porta Res. Lat. 236

